

Contra: tunc differentia respectu alius non est differentia: quod est falsum: quia necessario est differentia, & per se: ergo respectus ad quodcumque non poterit illud tollere.

Concedo: quod Differentia, ut quid, in se non est Differentia, ut quid: tamen necessario est Differentia, ut quid: sic species est modus entis.

Ad aliud concedo, quod Differentia est species.

Summa textus.

QVAMVIS hæc Quæstio præcedentem præcedere videatur: quia prius videndum erat; an Differentia posset diffiniri, quæ de eius diffinitione disputare: nihilominus ordo quæstionum est optime assignatus, cum quia diffinitio præcedentis quæstionis attenditur penes Differentiam fundamentaliter sumptam: de qua Logicus principaliter non curat: tunc etiam: quia si de Differentia secunde intentionaliter procedat: & ut sic per prædicari de pluribus proprie, & Logice, diffiniatur: ideo Doctor respectu huius diffinitionis, hanc præmittit quæstionem: an, scilicet, possit, ut sic, diffiniri: pro parte negativa arguit dupliciter: tunc quia quod diffinitur habet differentiam: sed differentia non est differentia: quia proceditur in infinitum: ergo. Tunc etiam, quia sola species diffinitur: qualis non est Differentia: quia species, & differentia, opponuntur: ergo. His tamen non obstantibus respondet.

Dicendum: Differentia secunde intentionaliter sumpta diffiniri potest: probatur: tunc per Porphyrium ipsam diffinitivam: tunc etiam quia habet genus, & differentiam: genus enim est universale: vel prædicari de pluribus: quæ est eius diffinitio: differentia autem est ly, in quale essenziale ut saepe diximus: ergo, &c.

Tandem respondet ad argumenta: quorum responsiones in littera, & ex supra dictis constant: & clarius ex dicendis in Articulis sequentibus, quorum primus sic se habet.

ARTIC. I.

An Differentia propriissima prime intentionaliter sumpta possit diffiniri?

OCASIONE summa textus ordinem quæstionum conciliantis præsentem Articulum ventilamus: & pro illius intelligentia est advertendum nos loqui de Differentia, secundum suam præcisam, & formalem realitatem, quatenus cum genere speciem constituit: verbi gratia, an rationale; ut ultima differentia est (& sic de reliquis, etiam si subalternæ sint, dicendum est) sit composita com-

positione sufficiente, ut verè, & propriè, diffiniri possit.

Pro parte affirmativa sit primum argumentum: rationale non est accidens; ergo substantia: ergo habet conceptum substantiæ, & realitatis, qua constituitur: ergo optime diffiniri potest.

Secundo, ultima differentia includunt formaliter ens: ergo habent conceptum entis, & realitatis ipsas constituentis: antecedens est Aristotel. quarto Metaphysicæ. ubi ait: quod ens sequitur ad omnia: hoc est in omnibus includitur: aliter enim differentia esset non ens, & nihil: ergo.

Tertio, differentia ultima in aliquo conveniunt, & in aliquo differunt: conveniunt enim in hoc, quod est facere differre: differunt tamen: quia omnes diversimodè differre faciunt: ergo ab illis est abstrahibilis ratio conveniendi, & differendi: ergo, &c.

Notandum primo, ex Doct. in primo dist. tertia quæst. secunda littera K. & dist. octava quæst. secunda, quod conceptus est duplex: alter simplex, alter simpliciter simplex: primus est resolvable in plures conceptus quidditativos quorum unus sit contrahibilis, & alter contrahens, seu generis, & differentia. Secundus est, qui in tales conceptus non est resolvable: & iste, vel totaliter, & distinctè, scitur, vel ignoratur: & est duplex: alter, qui omnimodam compositionem, & constitutionem, excludit: ut conceptus entis, ut sic: alter, qui licet excludat omnem realem compositionem, & constitutionem realitatum perfectibilis, & perfectentis, non tamen aliqualem constitutionem conceptus entis, & modi cuiusdam determinationis: & talis est conceptus ultimæ differentia: qui in conceptum entis, & gradus cuiusdam intrinseci resolvitur: & tamen dicitur simpliciter simplex: quia ens non prædicatur in quid de differentia: id est per modum contrahibilis; ut late in Antepædicamentis quæst. 4. art. 4. ostendimus.

Secundo notandum, ex decimo Metaphysicæ text. 12. & ex Doct. ibidem: discrimen esse inter differens proprie dictum, & inter diversum: nam differens in aliquo convenit cum illo, à quo differt: & in aliquo ab eo disconvenit: conveniunt enim in prædicato dicto de eis in quid, quod proprie dicitur genus, vel species: & ideo dicuntur aliquid idem entia: id est in aliquo quidditativè conveniunt: differunt tamen, differentia proprie dicta, quæ est realitas extra generis rationem: ut diximus. At vero diversum, seu diversa, in nullo tali prædicato, quod de eis dicatur in quid, conveniunt: nec aliqua differentia proprie dicta differunt: & ideo primo diversa dicuntur, ac distinguuntur se totis obiectivè: cum hoc tamen stare potest, ut respectu conceptus entis conveniant: nam respectu huius conceptus nulla datur prima diversitas.

Dicendum: Differentia propriissima prime intentionaliter sumpta, non potest proprie diffiniri: bene tamen aliquo modo explicari, & notificari: quod est improprie, & large, diffiniri: hæc quoad pri-

Conclus.

1. Argum.

2. Argum.

3. Argum.

1. Nota.

2. Notan.

Conclus.

primam partem est communis; & maxime in nostra Schola: & probatur: quælibet differentia, ut sic non est constituta ex genere, & differentia: ergo non potest proprie diffiniri: quia diffinitio proprie ex genere, & ex differentia constat: antecedens patet: quia aliter esset processus in infinitum: nam de illa alia differentia inquiri: an sit proprie diffinibilis, nec ne? Si sic: idem conficio argumentum: si non: habeo intentum. Et hoc est quod asserit Doctor in solutione ad primum: dum ait: quod differentia non est differentia, &c.

Secunda pars etiam est communis: & patet per Porphyrium differentiam diffinientem: ut vidimus quæst. præcedenti. Et præterea probatur: nam quælibet entitas aliquo modo constituta potest per constituentia notificari: huiusmodi est differentia propriissima prime intentionaliter accepta: ut in notabilibus diximus: ergo, &c.

Ad primū
Ad secundū.

Ad tertium.

Ad argumenta: ad primum dico: quod rationale est substantia transcendentalis: eo modo, quo est ens: sed quia nec talis substantia, nec ens, prædicatur in quid de illa: ideo dicitur simpliciter simplex: & improprie tantum diffinibilis: & per hoc ad secundum.

Ad tertium, iam diximus supra: quæst. i. art. 2. not. 2. quod differentia tantum conveniunt in simili modo se habendi: non vero in aliqua realitate sibi communi de eis dicta in quid: & ita tantum large diffiniuntur: non vero proprie: quia diffinitio proprie respicit naturam, & entitatem diffiniti, quod in præsentia est à parte rei primo diversum.

ARTIC. II.

An differentia secunde intentionaliter capta diffiniri possit?

1. Nota.

2. Not.

EX Doctoris littera, & ex textus summa, quid huic difficultati dicendum sit, manifestum apparet: sed pro maiori intelligentia notandum primo sine argumentis: quod differentia secunde intentionaliter accepta potest dupliciter considerari: vel ut respicit sua inferiora, scilicet, hanc, & illam, differentiam, ut sunt illius individua intentionalia: vel ut respicit sua subiectibilia, quæ denominat, & respectu quorum, dicitur universale: & in hoc secundo sensu procedit quæstio Doctoris.

Secundo notandum: quod Differentia, ut est tertium prædicabile, est quoddam cōcretum intentionale, dicens de materiali proximo conceptum abstractum ab omnibus differentiis propriis, & de formali secundam intentionem illi applicatam, & ad ipsas differentias, ut sunt à parte rei ultimate terminatam. Videns enim intellectus omnes differentias propriissimas, tam infimas, quam subalternas, delimit à parte rei ab ultimo gradu formæ: & per se dividere genus: & tribuere esse essentielle speciei, & convenire in hoc, quod est essentialiter qualificare: non quod hæc ratio essentialiter qualificandi sit aliqua rea-

litas omnibus communis: sed idem modus se habendi: ab isto modo abstrahit conceptum quidditativum, commune, & univocum, cui tribuit, & applicat secundam intentionem prædicandi in quale essentielle, terminatam tanquam ad fundamentum remotum, ad rationale, innumabile, sensibile, & reliquas: sicut enim genus habet diffinitum quod, & quo totale, & partiale: sic de differentia secunde intentionaliter capta est asserendum.

Dicendum: Differentia, ut est tertium prædicabile, & species universalis, optime diffiniri valet: est communis cum Doctore: & ratione ipsius in littera posita probatur.

Conclus.

QVÆST. V.

An hæc diffinitio: Differentia prædicatur de pluribus differentiibus specie in eo quod quale sit conveniens?

Differentia est, quæ de pluribus differentibus specie in eo quod quale sit prædicatur. Cap. eod.



VERITUR: an hæc diffinitio sit conveniens: Differentia prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quale: quod non videtur: quia diffinitum excedit diffinitionem: prædicatur enim diffinitum de ultima differentia, & completiva speciei, & non diffinitio: quia illa differentia tantum inest speciei specialissimæ, & eius suppositis.

Item: diffinitio excedit diffinitum: probatur: quia sensibile prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quale: & tamen non est differentia: quia differentia est abstractum significans aliquam intentionem secundam: impossibile est autem aliquam secundam intentionem in abstracto prædicari de re primæ intentionis: probatio assumpti: quia differens dicitur denominative à differentia: denominativum autem tantum differt ab abstracto solo casu: ergo, &c. antecedens patet per Porphyrium: nam ubi vult exponere membra diffinitio-

Item: diffinitio excedit diffinitum: probatur: quia sensibile prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quale: & tamen non est differentia: quia differentia est abstractum significans aliquam intentionem secundam: impossibile est autem aliquam secundam intentionem in abstracto prædicari de re primæ intentionis: probatio assumpti: quia differens dicitur denominative à differentia: denominativum autem tantum differt ab abstracto solo casu: ergo, &c. antecedens patet per Porphyrium: nam ubi vult exponere membra diffinitio-

nis differentia; exponit sic: differt enim Sortes senex a se puero: & consimiliter in alijs.

Item; hoc, quod est prædicari, de, est ratio relatiui, vt patet de vniuersali: differentia autem non est relatiuum: quia ratio non refertur: esset enim procedere in infinitum: differentia autem est relatio: quia secundum ipsam refertur differens ad differens: est enim relatio æquiparantia: omne enim differens aliqua differentia differt a differente: ergo differentia non refertur. Hoc etiam patet inductiue: quia ad nullam rem primæ intentionis refertur: quia non est simul natura cum aliqua: nec ad aliquam secundam intentionem: quia non ad genus, vel speciem, vel indiuiduum: quia quodlibet illorum habet correlatiuum: vt patet ex prædictis: nec ad proprium, vel accidens: quod est manifestum.

Item: omne diffinitum differt specie ab alijs per suam diffinitionem: differentia autem non differt: quia subiectum, & prædicatum, significatur sub oppositis modis inseparabilibus, qui causant falsitatem.

Item: Porphyrius ponit alias diffinitiones: ergo vel ille non valent: vel ista non valet: quia vnus tantum est vna diffinitio, per Aristot. 6. Topicor.

Cap. 4.

Ad oppositum est Porphyrius.

Dicendum ad questionem: quod differentia est duplex: quædam vltima, quædam intermedia: hæc diffinitio conuenit differentia intermedia vniuersaliter: & est vera diffinitio: ponuntur enim ibi genus, & differentia ipsius differentia: quia differentia species est respectu vniuersalis: sicut de genere prius dictum est: quia vniuersale per differentias sibi additas in ipsam descendit: quia illæ per se diuidunt vniuersale, & ipsum ad differentiam contrahunt: differentia autem per se diuisiua superiorum per se sunt constitutiua inferiorum: quia per illas superius determinatur ad inferius: tamen non est diffinitio differentia vniuersaliter: quia non differentia vltima. Sicut enim est quædam species specialissima, & quædam subalterna: & sicut est aliqua descriptio data de specie specialissima tantum: sic est differentia quædam vltima, & quædam

intermedia: sic quod est aliqua descriptio conueniens differentia intermedia, cuiusmodi est ista.

Contra: illa differentia vltima non diffinitur, nisi per differentibus numero: ergo est aliud vniuersale ab ista differentia hic diffinita: sicut species est aliud vniuersale a genere: non enim est alia differentia inter genus, & speciem: nisi in differentibus specie, & numero: quæ duo consimiliter se habet circa prædicari in quid, & in quale: cum igitur prædicari in quid faciat duo vniuersalia: ergo prædicari in quale alia duo.

Item: secundum nullam vnam diffinitionem differentia conuenit differentia intermedia & vltima: quia in illa diffinitione oportet habere prædicari de pluribus in quale: & non poterit poni differentibus specie, nec numero: ergo æquiuoce conuenit illis: nec illud; tantum de pluribus in quale sufficit: quia pluribus æquiuoce conuenit, pluribus specie, & numero: sicut vnus æquiuoce conuenit vni specie, & vni numero: vt patet 5. Metaph. cap. de vno. Sed tunc videtur, quod diffinitio vniuersalis, in qua ponitur prædicari de pluribus absolute, & non pro aliquo significato, nihil valeat: vel si sic, tunc poterit differentia diffinita in communi per prædicari de pluribus in quale: intelligendo quale pro quali essentiali.

Sed contra: tunc genus, & species, erunt vnum vniuersale: sicut & differentia, cuius vnus vniuersalis esset vna diffinitio prædicari de pluribus in quid.

Dici potest: quod genus, & species, non tantum differunt per hoc, quod est prædicari de pluribus numero, & specie differentibus: sed in quid conuenit eis æquiuoce: quia genus prædicat partem essentialia: species vero totum: non sic autem quale substantiale conuenit æquiuocè differentia vltima, & intermedia: quia vtraque dicit partem formalem. Diffinitio igitur ista est tantum differentia intermedia, & non vltima. Differentia autem in communi est sufficiens diffinitio, prædicari de pluribus in quale; quæ conuenit vtrique differentia: prædicari autem in quid vniuoce non conuenit generi, & speciei: ideo illa sunt duo vniuersalia: differentia vero vnum.

Pro diffinitione autem vniuersalis, & differentia, sic in communi, oportet dicere plura esse vniuoce, ad plura specie

Text. com. 8. & inde.

cie, & ad plura numero: licet vnum in sit vni numero, & species, sicut simpliciter, & secundum quid: Sicut non homo est vniuoce ad mortuum, & non mortuum: licet homo conueniat simpliciter, & secundum quid, illis; nec vnum est æquiuocum ad illa: quia tunc suum oppositum esset æquiuocum: cum tibi omnimode opponatur: sed significat simpliciter vnum numero, & pro alijs non accipitur; nisi per determinationem distrahentem: sicut nec homo pro homine mortuo. Nec est inconueniens, vnum, licet non sit æquiuocum, adhuc distingui in hæc; 5. Metaph. & 1. Topic. quia sic multa alia nomina distinguuntur ibi, non in æquiuocata; sed in simpliciter, & secundum quid. vt patet ibi de priuatione.

Text. com. 27.

Ad primum argumentum patet.

Ad secundum dico: quod differentia potest esse nomen primæ intentionis, vel secundæ: primo modo est nomen abstractum; & significat relationem: & est species multitudinis: vt multum est differentia entis. Secundo modo est concretum: sicut & alia nomina intentionum, de quibus hic agitur, & transsumitur a differentia, vt est nomen primæ intentionis: significat autem intentionem applicabilem ei, quod est principium formale differentia, vt est res primæ intentionis.

Cum ostenditur, quod sit abstractum, potest dici: quod differre tantum dicitur denominatiue a differentia, vt est nomen primæ intentionis: & quod dicit Porphyrius: quod Sortes senex differt a se puero: non est, quia differentia, vt est intentio, sit in vno extremo; & denominet ipsum sic: fortis senex differt: sed sic est illud ad propositum, si Sortes senex differt a se puero: ergo differentia est inter extrema: vt differentia est nomen primæ intentionis. ergo in altero extremo est aliquod principium, quod dicitur differentia, vt differentia est intentio, illud est pueritia: ergo pueritia est differentia communis: & sic est intelligendum de extremis aliorum membrorum.

Ad tertium potest dici: quod differentia, vt est res primæ intentionis, est relatio, & sic non refertur: vt autem est secunda intentio, refertur, & non est relatio. Cum autem per inductionem ostenditur,

quod non refertur, potest dici: quod secundum rationem sui generis refertur ad illud, de quo dicitur, quod vocari potest subiectum: quia prædicatum refertur ad subiectum: nec ad indiuiduum, nec ad speciem: vt ad primum correlatiuum: quia secundum Aristot. 4. Topic. oportet speciem dici ad illud, ad quod genus.

Cap. 3.

Dicitur autem in speciali: quod differentia, secundum quod diuisiua, dicitur ad genus: non quod genus sit primum eius correlatiuum: quia primo est species; sed ratione diuisiua; quod primo dicitur ad diuisum: secundum autem quod est constitutiua, dicitur ad speciem, non in quantum species; sed in quantum constituta per differentiam.

Per hoc patet ad quintum, quia non sunt multe diffinitiones differentia secundum se: sed prima est eius, secundum quod est constitutiua speciei: est enim mensus differentia est, qua abundat species a genere: id est, quæ cum genere constituit speciem: ita quod ibi ponitur species, vt correlatiuum differentia, in quantum species est constituta, & differentia constitutiua: abundat a genere: ponitur pro constituere, & propria ratione constituendi: quia non vt genus constituit speciem. Secunda diffinitio est differentia intermedia, in quantum est vniuersale: sed si sumatur generalis, dempto hoc, quod est differentia bus specie; est propria differentia, in quantum hic de illa agitur. Alia duæ diffinitiones sunt differentia in quantum diuisiua est: prima datur a diuisione actiua, in qua ponitur ratio differentia diuisiua, scilicet, nata diuidere; cum correlatiuo, scilicet, diuisio; & termino diuisiua, scilicet, ea, in qua diuisum diuiditur; scilicet, ea, quæ sunt sub eodem genere. Quarta non multum valet: vt ipse dicit in littera; & cum corrigitur, tunc contrahitur magis ad differentiam constitutiua.

Ad quartum, potest dici: quod differentia, vt est nomen secundæ intentionis, est æquiuocum: vno enim modo significat intentionem applicabilem ei, quod est principium differentia, vt est relatio realis: sicut rationale dicitur differentia: & sic est vniuersale hic. Alio modo significat relationem rationis, cuius species sunt differentia numero, &

differentia specie, à quibus dicitur denominatiue differens specie, & differens numero: & sic est abstractum: sicut quando est nomen primæ intentionis. Hoc videtur probabile: quia differens specie est vniuoce in omni genere: ergo est denominatiuum intentionale. Si militer differentia diffinita sic: qua differunt à se singula: reperitur in omni genere: quia tantum diuersificatur per materiam accidentalem: ergo & differens cōcretiue dictum, quod ponitur in eius diffinitione: nō est enim diffinitio, nec descriptio conueniens, nisi conuertatur cum diffinito, vel descripto: ergo aliquo modo est differentia abstractum, & nomen secundæ intentionis, à quo possit denominatiue dici differre: vt est intentionale. Tunc ad argumentum concedo, quod differentia differt ab alijs vniuersalibus diffinitione, & specie: nec significatur idem per subiectum, & prædicatum sub disparatis rationibus.

Contra: videtur, quod differentia, vt est vniuersale, sit abstractum: tum quia est, qua differunt à se singula; per quartam diffinitionem: quo enim aliquid est album, illud est albedo. Tum etiam quia si sit concretum & denominatiuum: à quo abstracto dicitur denominatiue? videtur quod à nullo.

Ad primum dico: quod diffinitio sic intelligi debet: differentia est; qua, non vt forma informantis, vt est de albedine; sed qua, vt intentione applicabili ad principium differentie specie, singula differunt à se differentia specie: quia differre denominatiue dicitur de differentia, vt est relatio rationis.

Ad aliud dico: quod eius abstractū non significatur vno nomine: sicut nec abstractum generis, speciei, & accidentis, vel proprii: quæ omnia, constat, esse concreta: sed potest exprimi pro circumloquutione sic: intentio differentie: & illud non prædicatur de rationali.

Iuxta dicta potest dici: quod multum, cum omnibus speciebus suis: & ita vnum per oppositum, possunt æquiuoce esse res, vel intentiones: primo modo loquitur de eis Metaphysicus: secundo Logicus: & sic facilliter saluatur eorum vniuocatio in omni genere: tamen in quid potest esse æquiuocum ad plu-

ra specie, & numero: saluatur etiam, quomodo pluribus non sit æquiuocum in diffinitione vniuersalis.

Summa textus.

Vlto, quod differentia potest diffinari: inquit Doctor, an secunda diffinitio eius, quæ illi potius, quam aliæ, prout vniuersale est, conuenire videtur: ut conueniens: partem negatiuam probat quæ argumentis, quæ tribus conditionibus bonæ diffinitionis, scilicet, quod diffinitio conueniat soli diffinito, & cuiuslibet eius inferiori, ita vt cum eo conuertatur: & quod nec sit superflua nec diminuta: & quod diffinitum à quocumque alio differre faciat: contrarie intendunt: primum enim supponit differentiam esse vniuersalem commune ad differentiam intermediam, & infimam: sed prædicta diffinitio tantum conuenit differentie intermediæ: ergo, cum non conueniat omni diffinito, iuxta primam conditionem, non est bona.

Secundum probat: diffinitionem excedere diffinitum: quia secunda intentio in abstracto nō potest prædicari de prima in concreto: sed differentia, vt hic diffinitur, est secunda intentio in abstracto, cuius concretum est ly differens: ergo eius diffinitio non competit sensibili, & alijs differentijs in concreto.

Tertium vult diffinitionem non conuenire diffinito: quia differentia non est relatiuum, sed relatio, quæ solum est ratio referendis, sed non referitur: si enim referretur ad aliud, esset processus in infinitum: & ultra quia non habet terminam, ad quem referatur: non enim referatur ad primam intentionis: quia relatiua sunt simul naturæ: & prima intentio est prior, quam secunda: nec referatur ad secundam intentionem: quia omnis secunda intentio habet suum proprium correlatiuum: ergo sequitur quod differentia est tantum relatio, & non relatiuum: sed in diffinitione hac, ponitur relatiuum, scilicet, dici, de, quod conuenit prædicatis, quæ sunt relatiua ad subiecta: ergo cum non relatiuum, diffiniatur per relatiuum, diffinitio hæc est vitiosa.

Quartum argumentum remouet tertiam conditionem: & supponit differentiam esse abstractum, & ly differens, vel differt eius concretum: ex quo sic: concretum non prædicatur de suo abstracto: ergo cum non possit recte dici: quod differentia differt per suam diffinitionem ab alijs, sequitur, quod non possit diffinari.

Quintum tandem argumentum reductiue tangit secundam conditionem: intendit enim hanc diffinitionem non adæquate dicere essentialiter diffinito: aliter enim superfluerent reliquæ diffinitiones à Porphyrio traditæ: ergo, &c.

Pro decisione veritatis prænotat vnum nōpe, differentiam esse duplicem: alteram intermediam, quæ diuidit genus non vltimum, & constituit speciem subalternam: vt corporeum, vel sensibile: Alteram vltimam, quæ diuidit genus vltimum, & constituit speciem infimam: vt rationale

1. Argum.

Secundum

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Not.

gale

1. Conclus.

nale quo notabili posito. Dicitur primo, diffinitio hæc datur de differentia intermedia, non vero de infima, nec de differentia in communi: & est bona diffinitio. Prima pars probatur autoritate Porphyrij: & argumento primo. Secunda, & tertia pars manifestæ sunt: quia hæc diffinitio datur per prædicari de pluribus differentibus specie: sicut & species, cuius est differentia: vltima tamen differentia prædicatur de pluribus differentibus numero: sicut & species vltima, seu infima. Vltima tandè pars patet: quia habet genus, & differentiam, ac reliquas condiciones ad bonam diffinitionem requisitas.

2. Conclus.

Secundo dicit: differentia in communi sic diffinitur, differentia prædicatur de pluribus in quale: habetur ibidicci potest quod genus, & species, &c.

Denique soluit argumenta; & quasdam obiectiones, quibus volebat probare differentiam in intermediam, & infimam non habere distinctas diffinitiones: quia aliter essent distincta vniuersalia: ac per consequens vniuersalia nō erunt quinque tantum: de quibus solutionibus in Articulis videbimus: maxime difficilioribus.

ARTIC. I.

An differentia propriissima recte in intermediam, & infimam, diuidatur?

1. Argum.

QVOD non videtur primo, nam ex hac diuisione sequitur esse plura vniuersalia, quam quinque: contra Porphyrium: ergo ad saluandam secundam diffinitionem, quam ipse dat de differentia propriissima, non debet ex eius mente talis diuisio assignari: hæc enim est ratio, propter quam assignatur à Doctore: sequellam probat: nam prædicari de pluribus in quale se habet ad has duas differentias: sicut prædicari in quid ad genus, & ad speciem: sed prædicari in quid contractum per ly differentibus specie, & ly differentibus numero, constituit duo vniuersalia: genus, scilicet, & speciem: ergo prædicari in quale per ly differentibus specie, & differentibus numero, contractum constituet alia duo vniuersalia: ac per consequens differentia in intermediam, & infimam; quæ pro differentibus specie, & differentibus numero, constituuntur, sunt duo vniuersalia: si enim hæc duo respectu, quid, duo vniuersalia constituunt; quare non respectu quale?

Dices: quod istis duabus differentijs datur vna ratio communis: scilicet, prædicari de pluribus in quale essentialiter: quæ est diffinitio differentie in communi: & ita hæc duæ differentie sunt duæ species vnius vniuersalis.

Contra: illi diffinitio eis communis est æquiuoca: ergo non erit vna; & sufficiens ad vnum vniuersale constituendum: antecedens probat: quia sicut ly vnum est æquiuocum ad vnum numero, & ad vnum specie, ex 5. Metaph. capi. de

vno: ita ly plura erit æquiuocum ad plura specie, & ad plura numero: quia quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis dicitur & reliquum: ac per consequens talis diffinitio data per plura differentia specie, & numero, erit æquiuoca: ergo non vna: ergo non conueniens vtrique differentie: ergo quilibet habet diffinitionem in nullo cum aua conuenientem: ergo sunt duo vniuersalia ab alijs distincta: ergo intentum primi argumenti.

Secundo principaliter arguitur: ad tuendam hanc diffinitionem secundam differentie esse bonam; non est talis diuisio necessaria: ergo propter hoc male à Doctore assignatur: antecedens probat: differentie istæ tantum numerice distinguuntur: vt supra de genere infimo, & subalterno, diximus: etiam ex mente Doctoris: sed indiuiduum non diffinitur ex 7. Metaph. ergo diffinitio hæc non datur de differentia intermediam: ergo de differentia in communi: ergo ad talem diffinitionem saluandam, male ad istam diuisionem recurrit Doctor.

Pro intelligentia notandum, quod secundum doctrinam Doctoris in solutione ad secundam, tertium, & quartum, differentia est nomen primæ intentionis, vel secundæ: primo modo est relatio inter differens, & differens, seu distinctio inter illa: & vt sic, est species multitudinis: sicut diuisio, & diuersitas: & vt sic, est abstractum, cuius concretum est ly differens: & per hoc soluitur secundum argumentum Doctoris.

Secundo vero modo adhuc æquiuoce significat: vno modo est quoddam concretum intentionale applicabile multis: videns enim intellectus omnes differentias à parte rei conuenire in hoc: quod esse facere differre format de illis conceptum communem, quo comparato ad illa, de quibus à parte rei tales differentie prædicantur, resultat relatio rationis in illo, qua in esse concreti intentionalis constituitur: dicens pro formali talem relationem; & pro materiali proximo omnes differentias, vt habent esse cognitum per illum conceptum, seu potius ipsum conceptum; vt iam quæst. præcedente art. 2. not. 2. diximus. Et differentia hoc vltimo modo accepta transmutatur à differentia, vt est nomen primæ intentionis in differentia quæ est species multitudinis; sed à principio formali, in quo talis relatio multitudinis fundatur, scilicet, à sensibili, corporeo, & rationali; quæ differentie etiam à parte rei appellatur, & primæ intentiones in concreto: itaque quælibet istarum est fundamentum, & principium formale differentie, quæ est relatio realis, & species multitudinis, ac abstractum quoddam; & à tali principio formali in concreto sumpto sumitur secunda intentio huius tertij prædicabilis: vnde in rationali fundantur duæ differentie: prima est relatio realis, quæ in se non denominat rationale, sed suum concretum, quod est differens; secunda est differentia intentionalis, & vnum concretum, quod denominat ly rationale, & subiectatur in ipso.

Alio modo significat relationem rationis; cuius species sunt differentia numero, & differentia specie, ac differentia genere; & vt sic est etiam

2. Argum.

Notandum

1. Conclus.

etiam